

feodorum deputatus fuerat, decessit et ille superstes in locum eius et hereditatem successit. Adhuc quidem idem superstes in carne vivit, Guntrammus nomine, miles strenuus in actu, qui sub testificatione veritatis fidem dictis astruit, cuius etiam talis est status et conversatio, ut fidem dictis eius non adhibere nefas esse putetur.

Cap. 25 [Christus^g et beata virgo apparent Conrado]

Inter caetera pietatis studia hoc praecipuum erat beato Conrado, servitio sanctissimae theotocos^h Mariae devotissime intendere. Ipsius etiam tanquam potentissimae patronae opem flagitabat dulci et frequenti meditatione. Accidit quadam vice, ut dilectus dei Conradus amatorem sui dominum Iesum ac beatissimam eius genitricem virginem Mariam videret simul sibi assistere in tanta claritate gloriae, quae humano eloquio exprimi non posset. Tunc piissima Maria ait filio suo: „Fili mi, quid placet voluntati tuae, quod fiat de servo tuo Conrado?“ Et respondit dominus: „Mater dilecta, quicquid tibi placuerit.“ Tunc rursum Maria ait: „Fili carissime, hoc instanter rogo, ut eum dulcedine tua in corpore et anima perfundas ipsumque tuis membris ita unias, ut post hanc vitam tibi incorporari mereatur.“ Et respondit ei dominus: „Fiat ei sicut petisti.“ Igitur venerationi dulcissimae virginis Mariae tanto alacrius intendebat, quanto certior fuit, quod eius intervenientibus meritis et precibus secundumⁱ promissum filii eius introducendus foret in gaudium domini et aeternae beatitudini coniungendus. Revera universi beati, qui in benignitate dei genitricis confidunt et eius famulatu ferventi devotione intendunt, certi enim sunt et securi, quod nequaquam perdere possunt quicquid eius famulatu impendunt.

Cap. 26 [De verbo, quod dixit ministris suis in hora mortis]

Conradus igitur servus et amicus dei consummatis feliciter diebus vitae suae et annis circiter septuaginta expletis in pace Christi requievit. Pridie itaque obitus sui rogatus a ministris suis quibusdam in carne superstitibus et circumstantibus lectulum Conradus, ut verbum aliquod aedificatorium in memoriam sui depromeret, respondit: „Filioli mei, libenter hoc faciam.“ Et protulit huiusmodi sermonem: „Labor corporalis est strenue exercendus et pro nomine domini Iesu Christi crucifixi patienter sustinendus, frangit enim carnis petulantiam et idoneum efficit ad suscipiendam gratiam.“ Et ulterius ait: „Orationis etiam gratia

g) Christus – Conrado *am Seitenrand nachgetragen* W₁. h) theotecos W₁. i) *dahinter wiederholt* secundum W₁.